



# BOLETÍN ECLESIAÍSTICO

DEL

## OBISPADO DE SALAMANCA

### SUMARIO

- I. Constitución Apostólica de N. S. P. Leon XIII, concediendo las indulgencias y privilegios del Año Santo á las religiosas, etc.—  
 II. Sumario de las indulgencias de la Cofradía del Santo Rosario.  
 —III. Circular de la Secretaría de Cámara recordando la colecta de la Epifanía.—IV. *Collatio moralis et de re liturgica pro mense Januarii*.—V. Lista de los señores ordenados en las últimas temporadas de Santo Tomás Apóstol.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI

LEONIS

DIVINA PROVIDENTIA

PAPAE XIII

CONSTITVTIO

QVA

**INDVLGENTIAE IVBILAEI**

ANNI MDCCCC

CONCEDVNTVR

MONIALIBVS, OBLATIS, TERTIARIIS

ALIIQVE SIVE PVELLIS SIVE MVLIERIBVS

IN MONASTERIIS PIISSVE COMMVNITATIBVS DEGENTIBVS

EREMITIS, INFIRMIS, CARCERE AVT CAPTIVITATE DETENTIS

CVM OPPORTVNIS FACVLTATIBVS

CIRCA ABSOLVTIONES ET VOTORVM COMMVTATIONES

LEO EPISCOPVS  
SERVVS SERVORVM DEI

AD FUTVRAM REI MEMORIAM

Aeterni Pastoris infinitam caritatem animo reputantes, qui *proprias oves vocat nominatim* (1), *ut vitam habeant et abundantius habeant* (2), quique ipsarum adventum ad sui gremium non modo expectat, sed ipse saepe praevertit, consilium agitavimus de Apostolicae liberalitatis thesauro recludendo in proximum annum Iubilaei iis etiam, quibus sua conditio non sinit ut praescriptam peregrinationem ad almam hanc Urbem et ad beatorum Apostolorum limina suscipiant. Placuit igitur fructu vacuum non redire multorum fidem ac pietatem, qui huiusmodi iter summo cum studio essent aggressuri, nisi eos aut septa monasterii, aut ineluctabilis captivitas, aut corporis infirmitas impediret. Quae quidem relaxatio atque benignitas non istorum tantum necessitati aut utilitati prospiciet, sed in communem omnium salutem redundabit. Coniunctis enim tot hominum precibus et lacrimis, quos vel vitae innocentia et religionis ardor, vel poenitentia, vel calamitas segregavit a ceteris, divinae misericordiae placandae spem licebit multo validiorem fovere. Quamobrem vi praesentium litterarum opportunas rationes describere decrevimus, quibus quum viri tum mulieres in eremis, monasteriis et religiosis domibus assidue vitam degentes, vel custodiis et carceribus detenti, vel morbis aut infirmitatibus impediti quominus veneranda Apostolorum sepulcra et Patriarchales Urbis Basilicas adeant, permissarum absolutionum concessisque plenarii Iubilaei fieri participes valeant.

Qui autem sub hac providentia comprehenduntur, hi sunt:

---

(1) Io. x, 3.

(2) Ibid. 10.

I. Moniales omnes, quotquot solemnna vota religionis ediderunt et in monasteriis degunt sub claustris perpetui disciplina; item quae tyrocinium exercent, quaeve in monasteriis, aut educationis aut alia de causa legitima, commorantur. Pariter Monasteriorum huiusmodi Moniales, quae stipis colligendae gratia septa religiosa egrediuntur:

II. Oblatae, vitae societate coniunctae, quarum Instituta fuerint ab Apostolica Sede vel ratione stabili, vel ad experimentum probata, una cum suis novitiis atque educandis puellis aliisque communi cum ipsis contubernio utentibus, quamquam severiori claustris lege non adstringantur:

III. Tertiariae sub uno eodemque tecto communiter viventes cum suis pariter novitiis atque educandis puellis, aliisque cum ipsis una degentibus, etsi severiore claustris lege minime teneantur, earumque Institutum nec unquam ad hunc diem ab Apostolica Sede approbatum fuerit, nec ut approbatum in posterum haberi debeat vi praesentis concessionis:

IV. Puellae ac mulieres in gynaeceis seu Conservatoriis degentes, quamvis nec Moniales, nec Oblatae, nec Tertiariae, nullisque claustris legibus obnoxiae sint. Has omnes, quas diximus, tam in Urbe quam extra, ubique locorum et gentium degentes, praesentis concessionis gratia et privilegio frui posse decernimus ac declaramus.

V. Idem concedimus Anachoretis atque Eremitis, non quidem eis qui nullis clausurae legibus adstricti vel in collegio et societate, vel solitarii sub Ordinariorum regimine certisque legibus aut regulis obtemperantes vivunt: sed eis qui in continua licet non omnimode perpetua clausura et solitudine deditam contemplationi vitam agunt, etiamsi monasticum aut regularem Ordinem profiteantur, ut Cistercienses aliquot, Chartusienses, Monachi et Eremitae sancti Romualdi solent.

VI. Ad utriusque sexus Christifideles eandem concessionis gratiam extendimus, qui captivi in hostium potestate versantur, ad eosque ubique locorum, qui ex civilibus aut criminalibus causis in carcere detinentur; item qui exilii poenam aut deportationis luunt; qui in triremibus aut alibi ad

opus damnati reperiuntur; denique ad religiosos viros qui suis in coenobiis sub custodia retinentur vel qui ex rectorum praecepto certam habent sedem, quasi exilii aut deportationis loco assignatam.

VII. Eamdem concessionem communem esse pariter volumus utriusque sexus infirmis cuiusvis ordinis et conditionis, vel qui iam extra Urbem in morbum aliquem inciderint, cuius causa, intra Iubilaei annum, Urbem adire, medici iudicio, non possint, vel qui, licet convaluerint, non sine tamen gravi incommodo romanum iter aggredi possint, vel qui omnino dare se in iter imbecilla ex habitu valetudine prohibeantur. Horum denique numero senes haberi volumus, qui septuagesimum aetatis suae annum excesserint.

Itaque istos omnes et singulos monemus, hortamur et obsecramus in Domino, ut peccata sua *in amaritudine animae* recolentes eademque intimo animi sensu detestantes, saluberrimo Poenitentiae sacramento et congruis satisfactionibus suam quisque conscientiam expiare curent; tum ad caeleste Convivium ea, qua par est, fide, reverentia, caritate, accedant, Deumque optimum maximum, per Unigenitum Filium eius ac per merita augustissimae Virginis Mariae et beatorum Apostolorum Petri et Pauli omniumque Sanctorum, iuxta Nostram Ecclesiaeque mentem enixis precibus orent pro sanctae Ecclesiae prosperitate atque incremento, pro extirpandis erroribus, pro catholicorum principum concordia, totiusque christiani populi tranquillitate et salute; in eumque finem visitationi quatuor Urbis Basilicarum, alia religionis, pietatis, caritatis opera devote sufficiant, quum voluntarii, tum praesertim a delectis sacri ordinis viris auctoritate Nostra iniungenda, prout infra edicatur.

Scilicet volumus ac iubemus ut venerabiles fratres Episcopi alique locorum Ordinarii Monialibus, Oblatis, Tertiariis, aliisque superius memoratis sive puellis, sive mulieribus, Anachoretis, Eremitis, in carcere detentis, aegrotantibus et septuagenario maioribus, statuam ac praescribam sive per se, sive per prudentes Confessarios, congrua religionis

ac pietatis opera iuxta singulorum statum, conditionem et valetudinem ac loci et temporis rationes: quorum perfunctionem operum pro visitatione quatuor Urbis Basilicarum valere volumus ac decernimus. Eandem commutandorum operum facultatem concedimus Praelatis Regularibus videlicet utendam erga Instituta et personas singulas quae in ipsorum iurisdictione sint.—Eodem genere personis quae in Urbe degant, designari opera sufficiens volumus per dilectum Filium Nostrum S. R. E. Cardinalem Vicarium eiusque vices gerentem, sive per se ipsos sive per prudentes Confessarios.

Itaque Omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Apostolorum Petri et Pauli auctoritate confisi, iis omnibus et singulis, quos supra memoravimus, vere poenitentibus et intra praesentem Iubilaei annum rite confessis ac sacra Communionem refectis, Deumque, ut supra dictum est, orantibus, omnia denique implentibus alia iniungenda opera in locum visitationum, ac, vel inchoatis tantum iisdem operibus, si morbus periculosus oppresserit, plenissimam omnium peccatorum indulgentiam, veniam et remissionem, etiam duplici vice intra anni sancti decursum si iniuncta opera iteraverint, haud secus ac si praescripta communiter ceteris omnibus expleverint, de Apostolicae liberalitatis amplitudine largimur atque concedimus.

Monialibus earumque novitiis licere volumus, at prima dumtaxat vice, sumere sibi ex alterutro Cleri ordine Confessarios, qui tamen sint ad audiendas Monialium confessiones rite approbati. Anachoretis atque Eremitis supra dictis, itemque Oblatis, Tertiariis, puellis ac mulieribus in monasteriis piisque domibus vitam communem agentibus, quibus forte ordinario tempore eligendi sibi Confessarii libera facultas non sit, similiterque Christifidelibus captivitate, carcere aut custodia, infirmitate aut senectute impeditis, fas esse iubemus eligere sibi prima vice dumtaxat Confessarios quoscumque, dummodo ad confessiones personarum saecularium probati rite sint. Idem eisdem conditionibus liceat viris religiosis ex quolibet Ordine aut Congregatione vel Instituto.—Confes-

sariis sic electis concedimus et tribuimus ut personas supra dictas, auditis earum confessionibus, absolvere possint a quibusvis peccatis, etiam apostolicae Sedi speciali forma reservatis, excepto casu haeresis formalis et externae, imposita poenitentia salutari aliisque iuxta canonicas sanctiones rectorumque disciplinae regulas iniungendis. Praeterea confessariis, quos moniales sibi elegerint, facultatem facimus dispensandi super vota quaelibet ab ipsis post solemnem professionem facta, quae regulari observantiae minime adversentur. Simili modo Confessarios supra memoratos etiam dispensando commutare posse volumus omnia vota, quibus Oblatae Novitiae, Tertiariae, puellae et mulieres in communibus domibus agentes sese obstrinxerint, exceptis iis, quae Nobis et apostolicae Sedi reservata sint: factaque commutatione, a votorum etiam iuratorum observantia absolvere.

Hortamur autem Venerabiles Fratres Episcopos aliosque locorum Ordinarios, ut, Apostolicae Nostrae benignitatis exemplo, eligendis ad praesentium effectum Confessariis impartiri ne recusent facultatem absolvendi a casibus qui ipsis Ordinariis reservati sint.

Volumus denique ut praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici et sigillo viri in sacri ordinis dignitate constituti munitis, eadem ab omnibus adiungatur fides, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si exhibitae forent vel ostensae. Ceterum harum decreta et iussa Litterarum rata, valida, firma in omnes partes esse et fore decernimus, contrariis non obstantibus quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, hortationis, concessionis, derogationis, decreti et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo nonagesimo nono

Calend. Novembris, Pontificatus Nostri anno vicesimo secundo.

C. CARD. ALOISI MASELLA PRO-DAT.—A. CARD. MACCHI

VISA

DE CVRIA I. DE AQVILA E VICECOMITIBVS

Loco † Plumbi.

*Reg. in Secret. Brevium*

I. CVGNONIVS.

---

## INDVLGENTIAE CNFRATERNITATIS SANCTISSIMI ROSARII

---

PARS PRIMA

**Indvlgentiae Cnfratribus propriae**

---

I

**Pro iis qui cnfraternitati nomen dant**

1. Indvlgentia Plenaria, si confessi sacraque communiõne refecti in cnfraternitatem recipiuntur (Gregorius XIII *Gloriosi*, 15 Jul. 1579).

2. Indvlgentia Plenaria, si legitime inscripti et confessi, eucharistiae sacramentum sumunt in ecclesia seu capella cnfraternitatis, tertiam partem Rosarii recitant et ad intentionem Summi Pontificis orant (S. Pius V, *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

*Nota.*—Qui cnfraternitati adscribuntur, has indvlgentias aut ipsa adscriptionis die, aut dominica vel festiva proxime sequenti lucrari possunt (S. C. Indulg. 25 Febr. 1848).

Pro iis qui recitant rosarium

A.—*Quovis anni tempore*

3. Indulgentia Plenaria, semel in vita, si Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam recitant (Innocentius VIII, 15 Oct. 1484).

4. Si integrum Rosarium recitant, omnes consequuntur indulgentias quae in Hispania conceduntur coronam B. Mariae V. recitantibus (Clemens IX, *Exponi nobis*, 22 Februarii 1668).

5. Indulgentia quinquaginta annorum, semel in die, si tertiam partem Rosarii recitant in capella S. Rosarii, seu saltem in conspectu altaris praedictae capellae, vel si extra civitatem, in qua erecta est confraternitas, commorantur, in ecclesia vel oratorio publico quocumque (Adrianus VI, *Illius qui*, 1 Apr. 1523).

6. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, si ter in hebdomada Rosarium recitant, pro qualibet vice (Leo X, *Pastoris aeterni*, 6 Octob. 1520).

7. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, pro qualibet hebdomada si integrum Rosarium recitant (S. Pius V., *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

8. Indulgentia quinque annorum et totidem quadragenarum quoties, recitando Rosarium, in salutatio angelica nomen Iesu devotè proferunt (Pius IX Decr. S. C. Indulg., 14 Apr. 1856).

9. Indulgentia duorum annorum si integrum Rosarium per hebdomadam dicendum per tres dies distribuunt, pro uno quolibet ex his tribus diebus, quo tertiam partem Rosarii recitant (Clemens VII, *Etsi temporalium*, 8 Maii 1534).

10. Indulgentia tercentum dierum si recitant tertiam partem Rosarii (Leo XIII, 29 Aug. 1899).

11. Indulgentia centum dierum quoties alios inducunt ad tertiam partem Rosarii recitandum (Leo XIII, 29 Aug. 1899).

12. Indulgentia tercentum dierum, semel in die, si dominicis vel festis diebus in aliqua ecclesia Ordinis Praedicatorum assistunt exercitio recitandi vel canendi processionaliter singulas Rosarii decades coram singulis mysteriis sive in pariete, sive in tabulis depictis (S. C. Indulg. 21 Maii 1892).



B.—*Certis anni diebus vel festis.*

13. Indulgentia Plenaria, in festo Annuntiationis B. M. V., si confessi et communione refecti Rosarium recitant (S. Pius V. *Inunc-tum nobis*, 14 Jun. 1566).

14. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum in festis Purificationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. si Rosa-rium recitant (S. Pius V. loc. cit).

15. Indulgentia decem annorum et totidem quadragenarum, in festis Resurrectionis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. si tertiam partem Rosarii recitant (S. Pius V. *Consueverunt*, 17 Sept. 1569).

16. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in re iquis festis D. N. C. et B. M. V. in quibus sacra ipsius Rosarii mysteria recensentur (scilicet, in festis Visitationis B. M. V. Nati-vitatis D. N. I. C., Purificationis et Compassionis B. M. V. (feria sexta post dominicam passionis), Ascensionis D. N. I. C., Pentecos-tes et Omnium Sanctorum), si saltem tertiam partem Rosarii reci-tant (S. Pius V, loc cit).

17. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum in festis Nativitatis, Annuntiationis et Assumptionis B. M. V. si inte-grum Rosarium ex instituto confraternitatis per hebdomadam reci-tant (Sixtus IV, *Pastoris aeterni*, 30 Maii 1478; Leo X, *Pastoris ae-terni* 6 Oct. 1520).

18. Indulgentia centum dierum in festis Purificationis, Annun-tiationis, Visitationis, Assumptionis et Nativitatis B. M. V. (Leo X loc. cit).

III

Pro his qui comitantur processionem ss. rosarii

19. Indulgentia Plenaria, si confessi et communicati processioni prima mensis dominica intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant et insuper capellam SS. Rosarii visitant (Gregorius XIII, *Ad augendam*, 24 Oct. 1577).

*Nota.*—Hanc indulgentiam, confratribus concessam, censequi po-terunt confratres itinerantes, navigantes aut alicui inservientes (quos inter milites actu servientes adnumerantur) integra Rosarii

recitatione: infirmi vero, vel legitime impediti si tertiam partem Rosarii recitant (Gregorius XIII, *Cupientes*, 24 Dec. 1583).

20. Indulgentia Plenaria si processionem assotiant in festis Purificationis, Annuntiationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Praesentationis et Immaculatae Conceptionis B. M. V. (Pius IV, *Dum praeclara*, 28 Febr. 1561), vel aliquo die infra octavas istorum festorum (S. C. Ind., 25 Febr. 1848).

21. Indulgentia quinque annorum acquirenda, quando ex elemosynis confraternitatis virgines matrimonio fungendae dotantur, si processioni intersunt (Gregorius XIII, *Desiderantes*, 22 Mart. 1580).

22. Indulgentia centum dierum, si processionem debitis diebus faciendam associant (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian 1579).

23. Indulgentia sexaginta dierum, si processiones ordinarias tam confraternitatis, quam alias quascumque de licentia Ordinarii celebratas, etiam SS. Sacramenti ad infirmos delati, comitantur (Gregorius XIII, *Gloriosi*, 15 Iul. 1579).

IV

Pro iis qui visitant capellam vel ecclesiam confraternitatis

24. Indulgentia Plenaria qualibet prima mensis dominica, si confessi et s. communionem refecti id faciunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XIII, *Ad augendam*, 12 Mart. 1577).

*Nota.*—Hanc indulgentiam etiam confratres infirmi, qui ad eandem ecclesiam accedere non valent, lucrari possunt, si, praevia confessione et communionem, domi ante devotam imaginem Rosarium seu coronam (h. e. tertiam partem Rosarii: S. C. Indulg. 25 Febr. 1877 ad 6), aut septem psalmos devote recitant (Gregorius XIII, loc. cit.)

25. Indulgentia Plenaria, quavis prima mensis dominica, si sacramentis muniti, expositioni sanctissimi eucharistiae sacramenti in ecclesia confraternitatis, quatenus de Ordinarii licentia locum habet, per aliquod temporis spatium devote intersunt, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XVI, *Ad augendam*, 17 Decembris 1833).

26. Indulgentia Plenaria, si confessi ac s. communionem refecti capellam SS. Rosarii aut ecclesiam confraternitatis visitant, ibique ad mentem Summi Pontificis orant a primis vespere usque ad occasum solis in festis Domini Nativitatis, Epiphaniae, Resurrectionis,

Ascensionis et Pentecostes: item in duabus feriis sextis quadragesimae ad arbitrium eligendis; nec non in festo Omnium Sanctorum, ac semel infra octavam Commemorationis omnium fidelium defunctorum (Gregorius XIII. *Pastoris aeterni* 5 Maii 1582; Gregorius XVI, *Ad augendam*, 17 Decembris 1833; S. C. Indulg., 12 Maii 1851).

27. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, a primis vesperis usque ad occasum solis, in festis B. M. V. Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Assumptionis ac in festo septem Dolorum (feria sexta post dominicam passionis) (Gregorius XIII, loc. cit.)

*Nota.—a*) Indulgentia Plenaria in festis B. M. V. Conceptionis, Nativitatis, Praesentationis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis et Assumptionis acquiri etiam potest per octavam, sed semel tantum in quovis octiduo (S. C. Ind., 25 Febr. 1848).

*Nota.—b*) Indulgentia Plenaria in diebus Paschatis, Ascensionis et Pentecostes, ac in festis B. M. V. Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis, Purificationis, Praesentationis et Assumptionis, nec non in duabus feriis sextis quadragesimae acquiri potest etiam visitando quamcumque aliam ecclesiam vel publicum oratorium (S. C. Indulg. 12 Maii 1851)

*Nota.—c*) Quoad itinerantes navigantes, inservientes vel infirmos aut alias legitime impeditos, pro acquisitione Indulgentiae Plenariae ecclesiam seu capellam SS. Rosarii visitantibus concessae diebus quibus festa mysteriorum Rosarii celebrantur idem dicendum, quod superius de iis, qui processioni intervenire nequeunt (n. 19), dictum est (Sixtus V. *Dum ineffabilia*, 30 Ianuarii 1586).

28. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica infra octavam Nativitatis B. M. V. (Clemens VIII, *Ineffabilia*, 12 Febr. 1598.

29. Indulgentia Plenaria, sub iisdem conditionibus, dominica tertia Aprilis: a primis vesperis usque ad solis occasum (Gregorius XIII, *Cum sicut* 3 Ian. 1579).

30. Indulgentia septem annorum et totidem quadragenarum, si confessi sacraque communione refecti capellam seu altare confraternitatis visitant, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant in diebus Nativitatis Dñi, Paschatis, Pentecostes, et in festis Immaculae Conceptionis, Nativitatis, Annuntiationis, Visitationis et Assumptionis B. M. V., nec non in festo Omnium Sanctorum (Clemens VIII, *Salvatoris*, 13 Ian. 1593; Idem, *De salute*, 18 Ian 1593).

31. Indulgentia centum dierum pro quolibet die quo visitant capellam seu altare SS. Rosarii, ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (Gregorius XIII, *Cum sicut*, 3 Ian. 1579).

*Nota.* - Moniales in clausura viventes, iuvenes utriusque sexus in collegiis, seminariis, conservatoriis degentes, omnesque demum personae viventes in institutis ex quibus ad libitum egredi non possunt, imo et membra societatum catholicarum, omnes indulgentias pro quibus praescriberetur visitatio capellae seu ecclesiae confraternitatis—dummodo huic rite adscripti sint—lucrari possunt visitando propriam ipsorum ecclesiam, seu capellam, sive oratorium (S. C. Ind. 11 Aug. 1871; 8 Febr. 1874).

Confratres infirmi vel quomocumque impediti quominus sacramentum eucharistiae recipiant, aut ecclesiam vel capellam visitent, indulgentias omnes pro quibus istae conditiones praescribuntur lucrari possunt, si confessi aliisque iniunctis operibus adimpletis, aliquod pium opus a confessario iniunctum exequentur.

Cum in quibusdam festis pro visitatione ecclesiae seu capellae SS. Rosarii praeter plenariam indulgentiam aliqua etiam indulgentia partialis concessa fuerit, ad hanc quoque acquirenda distincta ecclesiae seu capellae visitatio necessaria est.

### Pro iis qui visitant quinque altaria

32. Confratres qui visitant quinque altaria cuiuscumque ecclesiae vel oratorii publici, vel quinquies unum duove altaria ubi quinque non reperiuntur, lucrantur easdem indulgentiae ac si Romae stationes visitarent (Leo X, 22 Maii 1518).

### VI

### Pro iis qui dicunt vel audiunt missam votivam Ss. Rosarii

33. Indulgentiae omnes integrum Rosarium recitantibus concessae, pro confratribus sacerdotibus si missam votivam secundum missale romanum pro diversitate temporis ad altare SS. Rosarii celebrant (quae missae votivae bis in hebdomada dici possunt); pro aliis autem confratribus si tali missae assistunt et ibi pias ad Deum fundunt preces (Leo XIII, *Ubi primum*, 2 Oct. 1898)

34. Indulgentiae omnes concessae iis qui processionem prima uniuscuiusque mensis dominica fieri solitam associant, pro iis qui consuetudinem habet celebrandi vel audiendi hanc missam, semel in mense, die quo confessi sacramentum communionis recipiunt (Clemens X, *Caelestium munerum*, 16 Febr. 1671).

35. Indulgentia unius anni pro iis qui in sabbatis quadragesimae assistunt coniunctim missae, concioni de B. M. V. et antiphonae «*Salve Regina*» (Gregorius XIII, *Desiderantes*, 22 Mar. 1580).

## VII

### Pro iis qui devotionem quidecim sabbatorum Ss. Rosarii peragunt

36. Indulgentia Plenaria in tribus ex quindecim sabbatis, uniuscuiusque arbitrio eligendis, si per quindecim sabbata consecutiva (vel immediate praecedentia festum Ss. Rosarii, vel etiam quolibet infra annum tempore) confessi et s. communionem refecti ecclesiam confraternitatis visitant ibique ad intentionem Summi Pontificis orant (S. C. Indulg. 12 Dec. 1849).

37. Indulgentia septem annorum et totidem quadragesimarum in duodecim sabbatis n. 36 non comprehensis (S. C. Indulg. 12 Dec. 1849).

## VIII

### Pro iis qui mense rosariano certis devotiones peragunt

38. Indulgentia Plenaria, si exercitio mensis octobris, in ecclesiis Ordinis Praedicatorum institui solito, saltem decies interfuerint, die ab ipsis eligendo, si sacramenta recipiunt et ad intentionem Summi Pontificis orant (S. C. Indulg. 31 Aug. 1885).

39. Indulgentia septem annorum et totidem quadragesimarum quoties devotionibus in ecclesiis Ordinis Praedicatorum mense octobris quotidie institui solitis intersunt (S. C. Ind. 31 Aug. 1885).

(*Se continuará.*)



# SECRETARÍA DE CÁMARA

## Circular

Recordamos á los Sres. Párrocos y encargados de parroquias el mandato de nuestro Santísimo Padre Leon XIII, en su Encíclica de 20 de Noviembre de 1890, respecto á la colecta que en todas las iglesias del orbe católico debe de hacerse en el día solemne de la Epifanía del Señor, para la abolición de la esclavitud.

Como en años anteriores se remitirán á esta Secretaría de Cámara las limosnas recaudadas en la diócesis, para enviarlas oportunamente á su destino.

Salamanca, 31 de Diciembre de 1899.

DR. PEDRO GARCÍA REPILA,

*Secretario.*

---

## COLLATIO MORALIS PRO MENSE JANUARI

Utrum in tactibus et osculis consistat peccatum mortale.  
(Div. Thom. 2.<sup>a</sup> 2.<sup>ae</sup>, q. CLIV, a. IV).

### CASUS CONSCIENTIÆ

Titia, devota femina, virtutibus atque sapientia Alphonsi confessoris rapta, obedientiae votum emit; at temporis decursu et amore spirituali in carnalem verso, Alphonsum ad turpia provocat, in loco ad confessiones exaudiendas parato. Alphonsus, vero, fortiter, restitit, atque peccati malitiam ponderando et gravitatem poenarum ostendendo, Titiam a depravato proposito dimovere, totis viribus curavit. Ipsa,

tamen, his rationibus minime frenata, Alphonsum invitum, verbis saltem, extra locum confessionum, deosculatur et, paucis diebus interjectis, iterum atque iterum in loco confessionum, ad turpia provocat et allicit, dum Alphonsus, vel Titiae, misertus, vel forte sollicitationi interne consentiens, manum deosculandam praebet, et simul, verbis dulcedine perfusus, benevolentiam et dilectionem in Christo Jesu testatur.

Quaeritur 1.º Quid dicendum de tenera Alphonsi agendi ratione?

2.º An sit sollicitationis, reus in sensu Const. "Sacramentum poenitentiae,, ideoque denuntiandus.

### DE RE LITURGICA

Communio ¿quomodo administranda est tum in Missa quam extra Missam; tam saecularibus quam monialibus claustratis?

---

## ÓRDENES SAGRADAS

Las han recibido de manos del Rmo. Prelado de Zamora, en las últimas Témporas, los siguientes ordenandos seminaristas y Religiosos de Salamanca, con letras dimisoriales de nuestro Excmo. Sr. Obispo y de sus respectivos Prelados:

### El Presbiterado

|   |   |                            |
|---|---|----------------------------|
| Don Juan Francisco Sánchez Barbero.     | } | <i>Diocesanos.</i>         |
| " Valentín González Gómez. . . . .      |   |                            |
| " Roque Clavero Calvo. . . . .          |   |                            |
| " Santiago Blázquez García. . . . .     |   |                            |
| " Froilán Peramato Carnes. . . . .      |   |                            |
| " Baldomero Hernández Quintano. . . . . |   |                            |
| " Juan Lorenzo Hernández Martín.        | } | <i>Extradiocesanos.</i>    |
| " Florencio Gil Regalado. . . . .       |   |                            |
| " José López Rodríguez. . . . .         | } | <i>Extradiocesanos.</i>    |
| " Agapito Martínez Pérez. . . . .       |   |                            |
| Fr. Francisco Pantoja. . . . .          |   | <i>Religioso dominico.</i> |

Fr. Estanislao de la Virgen del Car. }  
men. . . . . } *Carmelitas.*  
„ Alfonso María de Santa Teresa. . . }

**El Diaconado**

Don Eloy Usallán Martín. . . . . }  
„ Luis Santana Acosta. . . . . }  
„ Victoriano González Cid. . . . . }  
„ Eulalio García y García. . . . . } *Diocesanos.*  
„ Francisco Carballares Mangas. . . }  
„ David Martín de la Fuente. . . . }  
„ Pedro González Fernández. . . . }  
„ Manuel Andrés Ramos Hernández. }  
„ Manuel Marín y Rojo. . . . . }

**El Subdiaconado**

Don Patricio Martín Hernández. . . . }  
„ Lázaro Vaquero Velasco. . . . . } *Diocesanos.*  
„ Juan Martín Alonso Yañez. . . . . }  
„ José Ramos y Ramos. . . . . }  
„ Juan Francisco Morán Ramos. . . }  
„ Hernán Martín Robles. . . . . } *Extradiocesano.*

**Órdenes menores y Subdiaconado**

Don Justo Larrarte y Azpiroz. . . . . } *Diocesano.*

**Tonsura, Menores y Subdiaconado**

Don Santiago Forrestal. . . . . } *Del Colegio de No-*  
*bles Irlandeses.*

**Órdenes menores**

Don Manuel Sánchez Ramos. . . . . } *Diocesanos.*  
„ Tomás Vicente del Arco. . . . . }  
„ Angel Nicéforo Cocho. . . . . } *Extradiocesano.*

**Prima clerical tonsura y órdenes menores**

Don Juan Mardáraz Zameza. . . . . }  
„ Eladio Hierro Eguiluz. . . . . } *Extradiocesanos.*  
„ Gregorio Azpitarte Iturriza. . . . }

**Prima clerical tonsura**

Don Francisco Cabrera Paradinas.